

830.8
L77
V4
S9

BIBLIOTHEK

des

LITERARISCHEN VEREINS

in Stuttgart.

IX.

Stuttgart,

gedruckt auf Kosten des literarischen Vereins.

1844.

BRUCHSTÜCK

ÜBER DEN

KREUZZUG FRIDERICH'S I.

HERAUSGEGEBEN

VON

FR. FREIHERRN v. REIFFENBERG.

Stuttgart,

gedruckt auf Kosten des literarischen Vereins.

1844.

Typis expressit Carolus Fridericus Hering cum Sociis.

I n h a l t.

- 1. Bruchstück über den Kreuzzug Friderichs I.**
 - 2. Ein Buch von guter Speise.**
 - 3. Die alte Heidelberger Liederhandschrift.**
-

162900

Legitur Chronici sequentis fragmentum in codice bibliothecae regiae, quae Bruxellis est, membranaceo, saeculo XIII. conscripto, numerisque 14775—76 signato.

Folia codicis, turbato olim per bibliopegam ordine, hunc in modum extant colligata: 1, 2, 6, 4, 5, 3, 8, 7. Quatuor foliis posterioribus Chronicon nostrum continetur.

Codex in catalogo, quem vir clarissimus Marchal digessit, imperfecte notatus a viro praestantissimo Pertz in libro, qui Archivi historici titulum fert, (tom VIII. p. 540) accuratius descriptus est.

Fragmentum inde haustum, utpote a scriptore coaevo, et inter ipsos belli delineati strepitus adornatum non omnino spernendum esse censuerim.

Sententiarum flores hinc inde sparsi, locique ex sacra scriptura inserti clericum vel monachum autorem fuisse coarguunt.

Annum, a quo narrandi initium cepit, ipse in exordio operis indicavit. Scripsisse autem autorem ignotum ante Friderici I. obitum ex verborum tenore conjecerim.

Locus enim quo Friderici strenuitatem praesertim „annis vigentibus“ maxime laudandam esse censet autor, si utique sanus est, tunc non nisi intellectum admittit, si voces annis vigentibus ita interpreteris ac si scripsisset: annis praesentibus.

Librarii errores passim in fragmento obvios, per contextum emendatos, aut positos in parenthesi hujus formae [] litteris, quas supplevi, omissis, aut in notis infra adjectis indicavi.

Quodsi in eruditissimum coetum cum tam levi sarcina irrumperere ausus fui, me grati animi pro tot muneribus, quibus Stuttgartiae nuper quasi obrutus fui, testimonium saltem, quantumcumque sit, offerendi, et origine, animo, studiis, nomine Germanum, caritatis ac pietatis obolum Germaniae solvendi, occasionem alacriter arripuisse, candide dicam. Valet.

Bruxellis, die 7. Kal. Mart. 1844.

FR. LIBER BARO DE REIFFENBERG.

DE SACRIS ADVERSUS SARRACENOS BELLIS
ET
FRIDERICI I. BARBAROSSAE
EXPEDITIONE FRAGMENTUM.

(Fol. 4 v^o.) **S**olet nonnunquam accidere ut res quantumlibet notas et eximie gestas tractus temporis vel fama languidior minuat, vel oblivio posteritatis extinguat.¹ Sic regum quam plurimorum emarcuit gloria, et ipsis consequutum evanuit, quod ab eis magnifice factum et suis celebratum temporibus novitas excepit in favorem, fama in preconium, populus in exemplum. Hoc Graī veteres divinitus attendentes, scripti remedium prudenter objecerunt, ac scriptores suos quos dixere hystoriographos, ad conscribendas historias studiosius exciverunt. Unde feliciter contigit ut vocis vive silentium vox scripta

¹ Sententiam inter medii aevi scriptores usu tritam vetus chronicorum auctor, Aegidius Li Muisis (De Smet, Corpus Chron. Flandr. II, 361.) his exprimit verbis:

Si non essent registrantes
Et futuris ministrantes
quae vident et quae audiunt,
Et illa quae eveniunt
in diversis temporibus
et in suis aetatibus,
per libros et per scripturas,
ubi ponunt magnas curas,
pauca scirentur de factis
in temporibus transactis. etc.

Idem fere, sed elegantius dictum exhibet rerum a Tancredo gestarum scriptor, qui et ipse in castris versatus est.

suppleret, ne, ipsis mortalibus, eorum commorentur virtutes. Romani vero, Grecorum emuli, perpetuum¹ de virtutis obtentu non solum stili assumpserunt officium, sed et statuas adjecerunt; et sic tam veteres representando, quam provocando posteros, virtutis amorem tum per oculos, tum per aures, ad interiora multipliciter demissum, imitantium mentibus firmiter impresserunt. Quis iter Jasonis, labores Herculis, Alexandri gloriam, Caesaris victorias nosset, si scriptorum beneficia defuissent? Et ut sanctorum patrum utamur exemplis, nec Job patientia, nec Abraham liberalitas, nec David mansuetudo fidelibus posteris ad exemplum viveret, si conscia veritatis antiquitas legendam nobis historiam non reliquisset. Sane reges antiqui, cum variis extollerentur preconiiis, id vel maxime in votis habebant ut ad posteritatis noticiam devenirent. Ceterum cum innumeri rerum gestarum scriptores extiterint, plurimi quod audierant, pauci quod viderant, scripserunt. Quod si Frigio Dareti de Pergamorum eversione ideo potius creditur, quia quod alii retulere auditum, ille presens conspexit; nobis etiam non indigne fides debetur, quia quod vidimus testamur, et res gestas adhuc calente memoria stilo duximus designandas. At si cultiorem dicendi formam delitiosus exposcit auditor, noverit in castris nos fuisse cum scripsimus, et bellicos strepitus tranquille meditationis otium non admisisse. Ipsa sibi veritas ad gratiam sufficit; et licet ponoso non expolita ornatu, quemcumque saltem secreti sui alliciet auditorem.

Anno incarnationis dominice MCLXXXVII. apostolice sedis apicem obtinente Urbano tertio, imperante in Alemannia Frederico, apud Constantinopolim Ysaakio,¹ Philippo² regnante in Francia, Henrico³ in Anglia, in Sicilia Willelmo,⁴ aggravata est manus Domini super populum suum. Si tamen recte dixerimus suum, quem conversationis immundicia, vite turpitudine, vitiorum feditas, fecerant alienum. Jam enim eo usque flagitiorum consuetudo proruperat, ut omnes, abjecto eru- (Fol. 5. r.) bescente velo palam et passim ad turpia declinarent. Cedens, rapinas, adulteria, longum esset evolvere, ac proposito nostro contrarium, quia res gestas delibare decrevimus, non formare tractatum. Sed cum hostis ille

¹ Cod. habet perpetuam. — ² Isaac, cognomento Angelus, qui secundis nuptiis Margaritam, Belae, Hungarorum regis, filiam, duxerat. — ³ Philippus Augustus. — ⁴ Henricus II. — ⁵ Guilielmus II., cognomine Bonus, 1166—1189.

antiquus corruptionis spiritum longe lateque diffudisset; specialius tamen Syriam occupaverat, et unde regiones ceterae susceperant religionis principium, inde totius immundicie sumebant exemplum. Hinc igitur dominus terram nativitatis suae, locum passionis suae, in abyssum turpitudinis decidisse conspiciens, hereditatem suam sprevit, et virgam furoris sui, Salahadinum, ad obstinate gentis exterminium debachari permisit. Maluit enim terram sanctam per aliquantum tempus prophanis gentilium ritibus ancillari, quam illos florere diucius, quos ab illicitis nullius honestatis compecebat respectus. Hanc future demolicionis instantiam casus preloquebantur diversi, fames, terre motus, frequens tam lune quam solis defectus. Sed et ventus ille validus, quem de planetarum concursu proventurum astronomici prenuntiaverant, in hujus rei significationem commutatus migravit. Ventus vere validus, qui quatuor mundi cardines concussit, ac orbem totum in seditiones et prelia concitandum premonstravit. Salahadinus igitur, contractis armatorum copiis, Palestinam violenter aggressus, ad miraculum Edesse Mavasaradinum cum septem millibus Turcorum, qui terram sacram depopularentur, premisit. Hic autem cum in partes Tyberiadis processisset, casu sibi obvius magistrum milicie templi, Gerardum nomine de Ridefordia, ¹ et magistrum hospitalis Rogerum de Molendinis, ² illum quidem fugatum, istum vero interfectum inopino Marte confecit. In quo conflictu cum nostrorum paucissimi ab immenso concluderentur exercitu, insigne quoddam et memoria dignum contigit. Nam quidam templarius, officio miles, natione Turonicus, nomine Jakelinus de Maillaco, ³ quadam virtutis preeminentia in se omnium provocabat insultus. Ceteris autem commilitonibus, qui quingenti aestimabantur, vel captis ⁴ vel interfectis, belli totius impetum solus sustinuit, et pro lege Domini sui athleta gloriosus effulsit. Hic hostium vallatus cuneis, et humano prorsus auxilio destitutus, cum tot milia hinc inde irruentia conspiceret, collegit in vires animum, et unus contra omnes bellum animosus suscepit. Virtus ejus ad gratiam hostium commendanda enituit, ut ei plerique compassi, ipsum ad deditionem affectuosius hortarentur. Quorum monita dissimulans, mori pro

¹ In hoc proelio Kal. Maji anni 1187. commisso Terricus sive Theodoricus adhuc militiae templi praerat, quo demum exauctorato Gerardus de Rideford anno 1198 magistratum obtinuit. conf. L'Art de vérifier les dates, in 8. V, 346. — ² Roger de Molins. — ³ Jaquelin de Maillé. — ⁴ Cod. habet captis.

Christo non abhorruit, sed telis, lapidibus, lanceis oppressus magis quam victus, vix tandem occumbens, ad celos feliciter cum palma martyrii triumphator migravit. Mors quidem mitior, et ad sensum doloris non venerat, cum unius viri gladius tantam circumjacentis turbe struxisset coronam. Dulce viro sic occumbere, ubi victor ipse in medio, et in circuitu impii, quos dextra victrice consumpsit! Erant in loco ubi pugnabatur stipule, quas messor, post grana paulo ante decussa, reliquerat inconvulsas. Turcorum autem multitudo tanta irruerat, et vir unicus contra tot acies tam diu conflixit, ut campus in quo stabant, totus resolveretur in pulverem, nec ulla messis vestigia penitus comparerent. Fuere, ut dicebatur, nonnulli qui corpus viri jam exanimum pulvere superjecto conspexerunt, et ipsum suis imponentes verticibus, virtutem ex contactu hausisse credebant. Quidam vero, ut fama ferebat, ardentius ceteris movebatur, et abscissis viri genitalibus, ea tanquam in usum gignendi reservare disposuit, ut vel mortua membra, si fieri posset, virtutis tante suscitarent heredem. Hac ergo suorum victoria Salahadinus impendio hilaratus, animum, occupandi regni ambitione suceensum, ad majora intendit. Verum ut tantus christiani nominis persecutor, cupide posteritati plenius innotescat, de principis ejus aliquid, quantum brevitatis captata permiserit, premittemus. Fuit itaque de genere Mirmuraeni,¹ parentum non ingenuorum proles, non tamen obscuri sanguinis humilitate plebescens. Pater ejus Job, ipse vero Joseph nuncupatus. Nam juxta Mahumeti traditionem, hec apud plerosque gentilium viget observantia, ut cum caractere circumcisionis, etiam Hebreorum nomina circumcidendis imponant. Principes vero, ut nominibus suis ammoniti, legis mahumetice studiosi defensores existant, ab ipso legis vocabulo nomina sortiuntur. Lex siquidem lingua gentili hadin dicitur. Unde et Salahadinus appellatus est, quod legis corrector interpretatur. Et sicut principes nostri vel imperatores dicuntur vel reges, sic apud illos, qui preminent; Soldani, quasi soli dominantes, nominantur. Salahadinus itaque sub Soldano Damascenorum Noharadino hoc primum potestatis suo auspiciam habuit, quod de puellis Damasci questuariis questum sibi colligebat infamem. Eas enim non aliter licebat prostitui nisi ab ipso primitus libidinis exercecende copiam precio impetrassent. Quicquid autem hujusmodi le-

¹ Infra Mirmuraeni.

nocinio lucrabatur, in usus histrionum prodigus refundebat. Sicque largitionis obtentu venalem vulgi gratiam totis desideriis comparavit. Hic cujusdam Suriani vaticinio in spem regni adductus, ab illo futurum audierat, ut Damasci et Babylonis dicione potiretur. Sic ergo ascensiones in corde suo disposuit, et jam cepit regno maiora sperare, cujus ambitus anguste possessionis limites non excedebat. Processu temporis cum jam etas robustior officium (Vol. 3. v) militare deposceret, ad Enfridum de Turone, ¹ illustrem Palestine principem, paludandus accessit, et Francorum ritu milicie cingulum ab ipso suscepit. Eo tempore gentilis quidam Sevvarius ² nomine, sub Calepho de Baldach Egyptiorum tenebat imperium, quem victoriosus Jerosolimorum rex Almaricus ³ ad tributum coegerat annuatim solvendum. Molanus ⁴ siquidem ter in anno tantum se visibilem, et adorandum exhibebat Egyptiis, qui apud subditos credebatur tantus ut ejus imperio Nilus effluere diceretur. Porro gentilitie religionis statuta observanter adimplens, dies anni concubinarum numero coequabat. Sicque inter mulierculas consenescentes tractanda regni negocia Sevvarino committebat. Hos Salahadinus, cum patruo suo Sarracuno tunc temporis apud Egyptios militans, prodiciose peremit incautos, et sic totius Egypti obtinuit principatum. Postmodum vero, non multo temporis interfluente tractu, Noharadinus ⁵ diem clausit extremum. Cujus uxorem Salahadinus matrimonio sibi copulans, cum ipsa regni regimen fugatis heredibus occupavit. Hec fortune ludentis potentia, has rerum vicissitudines voluit, que de paupere divitem, de humili sublimem, de servo suscitavit dominantem. Quod si rerum precia judicio non opinione metimus, quantalibet terrene felicitatis potentia vilis estimanda est, quam pessimi et indigni sepius nanciscuntur. ⁷ Leno ille cujus regnum in prostibulis, militia in tabernis, studium in aleis et allis, subito sublimatur, sedet cum principibus, immo maior principibus et, solium glorie tenens, Egyptiis imperat, Damascenos subdit,

¹ Ab Hugone Tyberiadis principe Saladinum baltheo militari cinctum esse legimus in veteri carmine gallico: L'Ordene de chevalerie.

² Inferius Sewarino legitur. Elfeis vocatur in libro dicto L'Art de verifier les dates V, 60.

³ Amalricus I, 1162—1173. — ⁴ a verbo Molla, Turcis Homo legis vel religionis. — ⁵ Nureddin-Mahmud, 1145—1173. — ⁶ Codex habet sullimem et paulo inferius sullimatur. — ⁷ Cod. habet nasciscuntur.

terram Roasie cum terra Gesire occupat, et ad intima citerioris
 Indie penetrat regnaturus. Regna itaque circumiacentia, nunc dolis,
 nunc armis, impugnans et expugnans, de sceptris pluribus monar-
 chiam efficit, et tot regum solus vindicat principatum. Nec his
 contenta tyranni cupiditas, quo plura possidet ad plura incenditur,
 et hereditatem domini totis viribus occupare conatur. Tempus autem
 votis accomodum nactus, jam obtinere sperat quod nunquam op-
 tate ¹ presumpserat. Nam propter regnum dissidentibus Tripolitano
 comite Raimundo et Guidone Latinorum rege octavo, perniciose
 sedicio populum distrahebat. Hec igitur oportunitas cupientem ani-
 mum acrius accendit, et tam celerem quam certum gerendi negotii
 pollicetur effectum. Ceterum non sua causa a Soldano bellum in-
 dicitur, nam princeps Antiochie Reginaldus ² fedus induciale rupe-
 rat, quod nostri cum gentilibus hinc inde sanxerant observandum.
 Quodam enim tempore cum plurimus et opulentus gentilium comi-
 tatus a Damasco in Egyptum transiret, et preter limites terre Chri-
 stianorum, ob induciarum fiduciam, itinerare non formidaret, in
 eos subito princeps predictus irruit, et ipsos cum universis sarcinis
 minus decenter captivos abduxit. Soldanus igitur, tum ambitione
 fervens, tum injuria sibi facta permotus, tocius imperii sui excito
 robore, Jerosolimorum fines tam potenter quam violenter invadit.
 Si numerus hominum, dissimilitudo gentium, cerimoniarum diver-
 sitas, prout lex hystorie postulat, plenius describerentur, tractatus
 diffusior brevitatis propositum conturbaret. Parthi, Beduini, et
 Arabes, Medi et Scordini et Egyptii, sicut loco, ritu et nomine
 diversi, sic in excidium terre sancte unanimiter accensi. Nostris
 obviam procedentibus, cum jam funesta dies instaret, camerario
 regis visio tremenda contigit, quod quedam aquila christianum trans-
 volaret exercitum, que septem missilia et balistam gestans in pe-
 dibus, voce terribili personabat: ve tibi Jerusalem! Ad hujus visio-
 nis eliciendum mysterium sufficere credimus quod scriptum legitur:
 Tetendit dominus arcum suum, et in eo paravit vasa mortis. Quid
 autem septem missilia, nisi septem certamina ³ typice indicant, qui-
 bus infelix exercitus erat in proximo periturus? Potest etiam illius
 Septenarii nomine penarum universitas que christicolis imminabant
 intelligi, sicut postmodum fidelis nimium et dirus interpres rerum

¹ Cod. obtare. — ² Reginaldus Castellionensis. — ³ Cod. criminalia.

declaravit eventus. Conflictu nondum inito, cum non longe a Tyberide hinc inde acies produxissent, conclusit Dominus in gladio populum suum, et hereditatem suam peccatis hominum in cedem tradidit et direptionem.¹ Quid plura? Nec tenor propositi, nec ipsa doloris indulget immensitas ad singula trenos aptare. Sed, ut multa paucis claudantur, tot ibi cesi, tot vulnerati, tot in vincula coniecti, quod ad hostium miserationem gens nostra consumpta deperit. Illud vivificum salutifere crucis lignum, in quo Dominus ac Redemptor noster pependit, in cujus stipitem pius Christi sanguis defluxit, cujus signum adorant angeli, venerantur homines, demones expavescent, cujus presidio nostri semper in bellis victores extiterant, heu nunc ab hoste capitur, et ipsius crucis baiulatores duo, episcopus Acconensis, et episcopus Sancti Georgii, ille cesus, iste captus pariter cum ipsa succumbunt! Hanc alteram post Cosdroem regem Persarum crux sancta propter scelera nostra contumeliam pertulit, et que nos a veteri captivitate jugo absolvit, propter nos captiva ducitur, et prophanis gentium manibus contractatur. Videat si est intelligens, quae sit ira Domini, immo quanta servorum iniquitas, cum ad (Fol. 6. r.) crucis custodiam gentiles quam Christiani minus reputentur indigni. Nichil eque lugendum etas antiqua protulit, quia nec archa Domini, nec reges Judeorum captivi nostri casum temporis equiparare possint, in quo gloriose crucis rex ducitur concaptivus. De captivis autem, quorum multitudo non minus miranda quam miseranda extitit, pars pro victoris arbitrio reservatur illesa, partem vero tam felici quam festino compendio ad celum gladius mactator transmittit. Inter ceteros princeps Antiochie Reginaldus Soldani conspectibus presentatur, cui tyrannus ipse vel furorem suum secutus, vel viri tanti excellencie deferens, manu propria caput emeritum et longevum abscidit. Templarios quoque, quotquot erant, preter magistrum milicie, decapitari precipiens, ipsos stirpitus exterminare statuit, quos in bello ceteris omnibus noverat prevalere. O zelus fidei! o fervor animi, quam plures assumpta templariorum tonsura, certatim ad carnifices confluunt, et sub pio nove professionis mendatio letam ferientium gladiis cervicem dependunt. Hos inter Christi milites templarius quidam nomine Nicholaus ita ceteris subeunde mortis amorem persuaserat, quod

¹ a. 5. inde Idus Julii 1187 triduo pugnatum est.

jam aliis pervenire certantibus, ipse martyrii gloriam vix primus obtinere poterat, quod tamen summopere affectabat. Nec defuit miraculosa divine miserationis potentia; nam per tres noctes proximas, cum sanctorum martyrum corpora adhuc insepulta jacerent, celestis radius ignis desuper manifestus infulsit. Salahadinus itaque cum jam belli fremitus conquiesceret, et hinc captivos trahi, inde cecos passim jacere conspiceret, erectis ad celum oculis de ademptione victoriae grates Domino reddidit; sic enim facere in omnibus que accidebant consuevit. At inter cetera hoc sepius dixisse fertur, quod non sua potentia, sed nostrorum iniquitas hanc illi victoriam contulit, et hoc ipsum non insolitus rerum comprobabat eventus. In congressibus aliis nostrorum exercitus, quantumlibet modicus, divino presidio semper prevaluerat; nunc autem, quia nec nos cum Domino, nec nobiscum Dominus, gens nostra penitus ante conflictum succubuit, cum tamen milites plus quam mille, et pedites plus quam viginti millia censerentur. Adeo sane totius regni robor edicto regio ad bellum illud confluerat: ut illi tantum in castrorum et urbium residerent custodia, quos etatis ¹ et sexus infirmitas armorum prorsus habebat immunes. Hoc bellum die translationis sancti Martini fato infelici commissum, sub uno actu temporis omnem regni gloriam transtulit et extinxit. Soldanus ergo munitiones terre, cesis defensoribus, faciles ad occupandum confisus, regem captivum ² victor per castra Syrie circumducit, ut, in ludibrium reservatus, et capiendis ostendatur urbibus, et populum incitet ad deditionem. Accon itaque veniens, ipsam primum et quam primum absque insultu recipit, civibus ex condicto libertatem habentibus se ac sua, qua mens duxerit, transferendi. Interea naute cursus solitos Accon dirigunt, qui ab [litt]ore christiano profecti, alii mercēs, alii transvehunt peregrinos, et heu! rerum gestarum inscii, ad portum hostilem applicant captivandi. Casus quidem mirabilis! litus a longe conspectum salutant, et vincula parantur egressis, naufragia evasisse letantur, et in gladios incidunt; pacem fatigati expectant, et inveniunt persequentem. Plerique reservantur captivi, quamplures habentur ludibrio, pauci sinuntur reverti, quos hostis ex industria nudos et inopes abire permittit, ut illorum exemplo exterreantur venturi. Inter ceteros Marchisus, ³ a Constantinopoli veniens, extra portum

¹ Cod. etatatis. — ² Guidonem de Lisiniaco vel Lusignano, Gallice: Lusignan. — ³ Conradus Montisferrati Marchio, Guillelmi senioris filius.

Accon, sole in occasum v[e]rgente, velis dimissis subsistit. Urbis enim silentia suspicionem inducunt, cum alias semper jam adventu navium ad plausum soleat concitari. Vexilla Soldani per urbem: conspecta majorem timendi causam incutiunt, ac, ceteris diffidentibus, cum jam galeas gentilium adventare cernerent, Marchisus omnes silere imperat, et se omnium prolocutorem opponit. Missis namque, quinam essent, scicitantibus, navem institoriam esse asserit, et se, dominum navis, rei geste non inscium, ac Soldano devotum, die crastina illucescente ad urbem venturum cum mercibus constanter promittit. Nocte ipsa, vento favente, Tyrum secedens, ipsam defensurus suscipit, cujus adventus et venturis christicolis processit ad commodum, et ipsi cessis[s]et ad gloriam, si qualis ceperat, perstitisset. Marchisus iste, Conradus nomine, natione Italus, vir quidem singularis industrie et ad quevis aggredienda strenuus; sed quantumlibet insigne principium, si turpi claudatur exitu, vituperium potius quam laudem meretur. Soldanus post Accon redditam, Beritum et Sydonem occupans, cum Tyrum eadem facilitate vendicare speraret, turpiter repulsus abscessit. Exinde rege secum perducto Ascalonem pervenit, et erectis petrariis urbem impugnat, quam captu facilem rarus et inermis defensor efficit, licet loci munitio multiplex invincibile robur pretendat. Urbem sibi reddi insatiabilis predo votis omnibus instat, prorsus ab expugnatione diffidens, rerum quidem inscius, et statum urbis in armis, viris, victualibus inopem ac infirmum ignorans. Paciscitur² autem et cives cum rebus suis libere discessuros et regem cum aliis quindecim electioribus captivis quam ceteris absolvendum. Die ipsa qua pactio prescripta in urbis traditionem processit, sol quasi compatiens beneficium luminis defectu ecliptico urbi et orbi subtrahit. Porro tyrannus perjurus et perfidus tenorem pacti ex parte transgreditur. Rex enim (Fol. 6. vº) Damascum transmissus ibidem usque ad Maium sequentem tenetur in vinculis, nec aliter potest captivus absolvi, nisi regno primitus abjurato. Fatis itaque succesum urgentibus, Jerosolimam victor tam festinus quam infestus aggreditur, urbem obsidet, machinas extruit, loca sacra sacrilegius irreverenter invadit. Erat crux quedam lapidea, quam olim milites nostri, cum hanc urbem, postquam Antiochiam victoriose cepissent, in titulum facti super murum:

¹ Cod. Paciscitur.

erexerant. Hanc ictu phalarice gens seua diruit et cum ipsa partem muri non parvam prosternit. Cives equidem quas possunt defensiones obitunt; ¹ sed quicquid temptatur a nostris effectu caret, profectum non invenit. Arcus, baliste, petrarie inutiliter tractantur, sicque tam arma quam machine iram Domini manifeste nuntiant, et urbis excidium prelocuntur. Illuc undique quam plurimi e castris vicinis confluerant, de loci potius securitate quam de munitione confisi. Sed in tanta hominum multitudine vix septem milites poterant inveniri. Ceterum sacerdotes et clerici, quamquam professioni sue indebitum, pro tempore tamen officium militandi assumunt, et pro domo Domini strenue dimicant, illud tenentes memoriter, quod vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittunt. Vulgus vero tam ignavum quam pavidum ad patriarcham et ad reginam, qui tunc urbi preerant, frequenter recurrit, flebiliter queritur, instanter supplicat, ut cum Soldano de urbe tradenda quam cicius paciscantur. Verum flenda magis quam commendanda pacto intercedit. Nam singuli capitis sui censum dependunt. Vir quidem bizantios decem, mulier quinque, infans unum; et quisquis ad solvendum non sufficit, tenetur captivus. Sic ergo contigit, ut cum plerique, vel de rebus propriis, vel aliunde vindicato subsidio, salutis sue pensionem dedissent, reliquorum, qui sine redemptore superfuerant, quatuordecim milia jugum perpetue servitutis subierint. Illis autem qui libertatem emerant, hec optio proposita fuit, ut vel Antiochiam pergerent, vel Alexandriam, transfretandi gratia dato conductu, migrarent. Dies illa, dies amara valde, qua populus exul ab invicem discedit, in diversa iturus, urbem que tam sacram deserit, urbem que, domina urbium, in servitutem redigitur, urbem que, filiorum hereditas, aliigenis subditur, a malicia habitantium in ea. Gloriosa civitas Domini Jerusalem, ubi Dominus passus, ubi sepultus, ubi gloriam resurrectionis ostendit, hosti spurio subicitur polluenda. Nec est dolor sicut dolor iste, cum hii sepulchrum possideant, qui sepultum persecuntur, crucem teneant, qui crucifixum contempnunt. Hanc autem sacratissimam civitatem circiter nonaginta et sex annos gens nostra tenuerat, ex quo ipsam pariter cum Antiochia, victoriosa Christianorum recuperavit potentia, cum eam prius gentiles per annos quadraginta possedissent. Urbe reddita, preco legis mahumetice eminen-

¹ id est: objiciunt.

tem Calvarie rupem conscendit, et ibi lex spuria declamata personuit, ubi legem mortis Christus in cruce consumpsit. Nefas aliud atrocissimi hostes aggressi, crucem quandam que super pinnaculum ecclesie hospitaliariorum posita eminebat, alligatis funibus deiecerunt, et eam turpiter consputam et cesam per urbis sterquilinia in improprium ¹ fidei nostre traxerunt. Sane regina, regis Amalrici filia, Sibilla ² nomine, una cum patriarcha Eraclio, cum templariis, hospitalariis et immenso coexulantium cetu versus Antiochiam iter direxit. Quod autem apud Neapolim cum rege marito et captivo colloquium triste habuerit, quando navem, in qua transfretare disposuerat, Marchisus violenter Tyrum abduxerit, brevitatis studio supersedemus. Illud quidem silentio suppressi omnino arbitramur indignum, quod Salahadinus, occupande urbis desiderio fervidus, Tyrum rursus totis viribus expugnare contendit. Nec terrestri obsidione contentus; ³ urbem qua mari cingitur, galeis obsidet, et undique molitur insultum. Nil vero intemptatum relinquens, patrem Marchisi ⁴ quem in bello superiori ceperat, sub hac fiducia presentat captivum, ut filius, necessitudinis affectu permotus, patris concambio civitatem contradat. Nunc ergo reddendum offert, nunc perdendum minatur, varios contemptat accessus. Sed in omnibus fallitur, nam Marchiso, ⁵ flecti nescius, offerentem irridet, minantem contempnit. Quotiens autem provocande compassionis intuitu, illi pater in vinculis videndus ostenditur, confestim balistam corripit, oblicos in patrem ictus designat, manum quidem aberrare volens, sed similis percussuro. ⁶ Missis etiam Soldani, qui patris interitum crebrius mini-

¹ id est: d e d e o u s. — ² Sibylla, primo Guillelmo Longaspadæ, filio Guillelmi senioris, Montisferrati Marchionis, deinde Gaidoni de Lusignan nupsit. —

³ Cod. habet contemptus. — ⁴ Guillelmus III. Senior is erat, jam supra laudatus, in proelio ad Tyberiadem captus anno 1137. — ⁵ idem quod Marchisus.

⁶ Historias versanti simile factum occurrit in Hispania, virtutis eâ magna parente. Alonsius Peresius Gusmanius scilicet, quum Tarifae arci anno 1239. praefectus esset et a Mauris urgeretur, hostes filio ejus, quem captivum tenebant, mortem minati sunt, ni castellum redderet. Alonsius, vero, paternum amorem miro comescens, obsidentibus pugionem e muris projecit, dicens: *Mas pesa el rey que lo sangre*: pulcherrima sane verba, quae in gentilitii Gusmanorum scuti lemmate supersunt, quibusque alludit Lopesius de Vega his versibus, in quibus Alfonso sic loquentem induxit:

Yo soy aquel Don Alonso
Que al moro de Africa dio

tantur, id se votis omnibus expetere asserit, ut et maleficus ille post tot flagitia bonos tandem inveniat exitus, et ipse patrem habere martyrem mereatur. Hac igitur tyrannus obtinende urbis delus[us] fiducia, fortunam alio pertemptat aditu, et quia nihil arte perficit, quid armis valeat experitur. Tyrus siquidem in corde maris sita, undique ambitur menibus, et modica sui parte, qua ponto non clauditur, muro munitur multiplici, que, (Fol. 7. r.) suis olim famosa regibus, Thebarum et Carthaginis peperit conditores; hec, regnante in Judea Salomone, proprio rege gaudebat, et que regni sui tunc caput extitit, tractu temporis regno Jerosolimorum in partem concessit. Hanc hostis cupidus¹ terra marique aggreditur, et introrsus fame afflictam varia incurstone laecessit. Crastina Innocentum festo, seu gloriosi martyris Thome², celebrem cives nanciscuntur victoriam. Nam, illucescente aurora, cum naviculis paucis et parvis egressi, obsidionem maris navali congressu dissolvunt. Ceterum ad fugam potius quam ad bellum prodire videntur, seu in primo impetu tota hostium classis ita virtute divina sucebuit, quod pars in urbem cum remigibus ipsis abducitur, pars vero refuga ultro harenis illiditur peritura. Gentiles, viso navali conflictu, urbem defensoribus vacuum esse credunt, et eam, de victoria certi, certatim impugnant. Jam menibus applicantur acies, et ad consensum festinant quam plurimi, cum Marchio portas pandi percipit, quem Hugo de Tyberide cum fratribus suis, et alio comitatu strenuo exeuntem secutus, innumeros rara manu prosternit. Salahadinus, facta sibi adversantia conspiciens, petrariis suis et galeis, que superstites fuerant, igne ad ipsius jussionem consumptis, recedit inglorius et Machomum execratur infestus. Postmodum circa³ principium Maii, regem a vinculis liberat, et lesa pactione, priori novam et duram conditionem imponit. Est insula que Arados dicitur, cujus civitas Antharados, vulgo Tortosa nominatur. Hic in occursum regis re-

El cuchillo que mato
 Mi hijo don Pedro Alonso.
 Lllaman me de gloria lleno
 Por el hazaña, que alabo
 Italia Torcuato el bravo
 Y España Guzman el bueno.

¹ Cod. capidus. — ² Kal. Januarij. — ³ Cod. circa circa.

gina procedit, miscentur oscula, nectuntur amplexus, suas leticia lacrimas elicit, et casus, quos incidisse dolent, evasisse letantur. Rex siquidem per annum sequentem, nunc Antiochie, nunc apud Tripolim commoratur, et transmarinos christicolos in terre sancte subventionem venturos expectat. Sane hoc inter cetera nullatenus silendum censemus, quod rex Anglorum Henricus pecuniam multam apud Templarios et Hospitalarios congesserat, qua et Tyrus defensa et cetera negotia regni utiliter expedita. Hanc autem pecuniam rex magnificus pia et necessaria provisione in terre subsidium per multos annorum circulos Jerosolimam transmiserat, cujus summa, ut dicitur, in triginta milia marcharum excrevit. Salahadinus igitur Tyro discedens, cum castra Palestine quam plurima occupasset, in partes Antiochie festinus secedit, et impetu potius quam obsidione Gabellum, Laodiciam et quasdam alias provincie munitiones expugnat. Terror quidem Christi urbi non parvus incutitur, sed civium communi consilio patriarcha et princeps deditionem tyranno promittunt, si citius infra datum terminum sperati non venerint adiutores. Meror quidem inconsolabilis universos turbasset christicolos, si urbs tam inclita quae christiani nominis inventione letatur, rursus gentilibus cesserat iminundis, quos longo et diro bellorum discrimine nostri dudum expulere victores. Ceterum nova defensionis auxilia unde venient, quando venient, vel quomodo venient? Terra non patet accessus, mare ab hostibus tenetur obsessum, Christianorum a veniendo temperant, dum galeas gentilium, quae sedent in insidiis, incidisse formidant. Verum perire non potest, quod Dominus salvare disponit; ecce optati veniunt, expectati accedunt. Nam egregius rex Sic[ul]orum Willelmus primos terre subsidiarios destinat, qui comites duos, milites quingentos, galeas quinquaginta transmittit. Ejus ergo beneficium esse, quis dubitat, quod Antiochia retenta, quod Tripolis defensa, quod Tyrus servata, qui harum urbium incolas a fame et gladio viribus suis securos conservat. Margaritus classi regie regende preerat, vir admodum strenuus, qui cum galeis percurrens, ausus piraticos reprimat, et pertemptata veniendi fiducia sequentes invitat. Hic insulas procul positas premens imperio, et tot casus equoreos fato felici expertus, victoriis multis obtinuit, ut rex maris, et a nonnullis alter diceretur Neptunus. Jam Tripolis navigantibus in prospectum occurrit, cives eminens vela conspiciunt, et cum nun-

tii salutis adveniant, sinistra pronunciat, pessimus in dubiis augur, timor; nec mora, muros coronant, propugnacula conscendunt: victori tamen an deditioem offerant, an pugnam praetemptent? At cum propius in eminentiis puppium vexilla crucis et alia christiane religionis insignia conspiciantur, clamor ingens tollitur, consalutantium voce resultant equora, turbis occurrentium litus impletur, et inefabile gaudium cunctos accendit. Inter alios Hervicus de Danziaco sed pre aliis fama factorum insignis, maturum terre presidium commodat, sicque in brevi manu multa et valida confluyente, nostrorum maritima illesa servatur. Est castrum quod Crachum dicunt, ubi civitas olim Petras nomine, nunc vero metropolis, sed loci antistes nomen antiquum retinet, et archiepiscopus petracensis appellatur. Castrum illud in sinu regni penitioe consistens per admirabiles Soldani dudum tenebatur obsessum. Locus quidem, si sola recedat, expugnat que tuta fames, ab omni securus insultu. Est et castrum quod Mons Regalis dicitur, quod ab urbe jam dicta viginti leugarum interjectu distans ulterius versus Egyptium secedit. Huc etiam admirabiles suos a principio rerum tyrannus transmiserat, ut diutina obsidione fames vinceret, quos loci munitio servabat invictos. Verum nec eriguntur machine, nec temptatur insultus. Ridiculum enim esset os in celum ponere, et ibi expugnandi habere fiduciam, ubi nec impugnandi datur accessus. Cumque in duos annos fere protraheretur obsidio, nostri egere ceperunt, sed victor animus adversis non frangitur, et ex vite periculo virtutis periculum enitescit. Quicquid autem triste vel durum apud Saguntum Hiberos, apud Perusium pertulisse Romanos, testis narrat antiquitas, nostrorum constantia sustinet, nec abhorret egestas edulium, quod usus et natura condemnant. Suas insuper affectiones pietas abdicat, suas amor abjurat delicias, nam pater progeniem parvulam, filius parentes decrepitos, nuptam maritus proscribit, et ejecti cum lacrymis hostibus exponuntur invalidi, ut alimentis residuis diutius militent pugnaturi. Tandem fame confecti et semianimes honeste tamen deditioem pactum ineunt, nam et sibi recessus liberos et domino suo, Enfrido scilicet de Turone, qui tenebatur captivus, liberationem adquirunt. Pari fato magister milicie templi Gerardus de Ridefordia quarundam munitionum deditioem absolvitur. Sed et pater Marchisi quodam gentilium captivorum concambio liber abscedit. Saladinus itaque jam toto fere regno potitus, cum cuncta sibi ad

nutum ¹ succederent, elatione fastuosa lasciviens, legem Machomi magnificentius extulit, et eam christiane religioni precellere rerum gestarum probabat eventu. Cujus superbientis gloriam, cum se victor coram christicolis insolentius jactitaret, fatuus quidam propter dicacitatem ipsi non incognitus, Domino quidem inspirante, tali responso delusit. „Deus, fidelium pater, delinquentes christicolas „corripiendos et corrigendos iudicans, te ministrum, o princeps, „in hoc assumpsit, sicut carnalis pater, ira nonnunquam accensus, „baculum immundum e luto corripit, quo cum filios excedentes pul- „saverit, eundem rursus in sterquilinum, unde assumptus erat, „demergit.“

Talia dum apud Palestinam aguntur, archiepiscopus Tyri, ² navi con[s]ensa, tante cladis nuntium jam ad orbem christianum detulerat, et terre tam modice vulnus terris omnibus intulit lesionem. Fama rerum ad aures principum illapsa decurrit, et universis fidelibus hereditatem Christi a gentibus occupatam nuntians, quosdam ad lacrimas concitat, alios ad vindictam accendit. Primus omnium magnanimus Pictavie Comes, Ricardus, ob ulciscendam crucis injuriam cruce insignitur, et omnes precedit facto, quos invitat exemplo. Pater ejus rex Anglorum jam vergebat in senium, ipse tamen et patris canitiem et regni jus sibi debitum et itineris tanti difficultates ³ dissimulat, nec ullis occasionibus a cepto declinabat. Hanc viri constantiam Dominus remunerandam iudicans, quem primum aliorum omnium incentorem elegit, eum, ceteris principibus, vel regressis, vel defunctis, negotii sui executorem reservavit. ⁴ Post aliquantum tempus rex Francorum Philippus, et rex Anglie Henricus, apud Gizorcium crucizantur, quos utriusque regni principes et innumeri tam ecclesiastice quam secularis milicie viri voto pariter et effectu sequuntur. In tantum vero nove peregrinationis fervebat studium, ut jam non esset questio, quis crucem susciperet, sed quis nondum suscepisset. Plerique colum et pensa sibi mutuo transmittabant, ut ad muliebres operas turpiter demigraret quisquis hujus militie inveniretur immunis. Ad tam insigne certamen et nupte ⁵ viros, et matres incitabant filios quibus, dolor unicus erat, propter sexus ignaviam conproficisci ⁶ non posse. Hac

¹ Codex habet: nuptum. — ² Guillelmus Tyrius, sacrorum bellorum scriptor. — ³ Cod. difficultantes. — ⁴ Cod. reservavit. — ⁵ Cod. nuptie. — ⁶ Cod. conproficisci.

militandi gloria vagante licentius, de claustris quam plures migrabant ad castra, et abjectis cucullis loricas induti, jam vere Christi milites, non armariis sed armis studere gaudebant. Ecclesiarum vero prelati nutricem virtutum, sobrietatem, publice indicabant, exortantes attentius, ut omnes, et mensarum et vestium nitore postposito, a luxu solito temperarent. Institutum etiam communi consilio tam principum quam presulum fuit, quod ad sustentandos pauperes peregrinos alii, qui remanebant, rerum suarum decimas impenderent. Sed malitiosa multorum cupiditas hinc occasionem sumpsit ut graves et indebitas exactiones in subditos exercerent. (Fol. 3. r.) His diebus rex Siculorum Willelmus in fata concessit, cujus obitus universo fideli populo tanto flebilior erat, quanto ipse ad subsidium terre Sancte propior et pronior existebat.

Decurso tempore Romanorum imperator Fredericus sacre peregrinationis assumit insignia, et veri formam peregrini tam exteriori habitu quam interiore depromit affectu. Vir tantus cujus imperium hinc mare mediterraneum, hinc borealis claudit¹ oceanus, cujus gloria continuis crevit victoriis, cujus felicitas non sensit offensam, omnem blandientis seculi postponit illecebram et humilis pro Christo accingitur pugnaturus. Ejus strenuitas, presertim in annis vigentibus, non minus stupenda quam laudanda est, nam cum senior esset, et filios haberet, quibus et etas et virtus ad militandum aptior videbatur, eos tamen tanquam insufficientes reputans, ipse principis² christianissimi negotium procurandum suscepit. Filiis autem instantibus, ut vel pro illo, vel cum illo suscepto milicie munus implerent³, illum, qui natu major erat, regnantem reliquit,⁴ alium vero, quem ducem Suauorum fecerat, secum assumpsit. Et quia imperialis majestas, neminem subito impetens, hostibus suis bella semper indicit, destinatur ab imperatore ad Salahadinum nuntius, ut vel Christianorum universitati, quam lesit, satisfaciat in plenum, vel disfiduciatus se preparat ad congressum. Epistolam Soldani responsoriam libello nostro inserendam duximus, nam superba tyranni fiducia quam ad resistendum conceperat, et ipsius tenore clarescit. Eam quidem in ipsa simplicitate verborum, in qua conscripta fuerat, recitando proponimus, nichil penitus immutantes.

¹ Cod. claustr. — ² In Codice loco verborum: *ipse principis* scribendum habetur perobscurum. — ³ Cod. implerent. — ⁴ Cod. reliquid.

„Illi regi sincero amico, magno, excelso, Frederico, regi Aleman-
 „nie. In nomine Domini miserentis, per gratiam Domini unius
 „potentis, exuperantis, victoris, perhennis, cujus regni non est
 „finis. Grates ei agimus perhennes, cujus gratia est super totum
 „mundum. Deprecamur eum, ut infundat orationem suam super
 „prophetas suos et maxime super instructorem nostrum, nuntium
 „suum, Mahumeth prophetam, quem misit pro correctione recte
 „legis, quam faciet apparere super cunctas leges. Attamen notum
 „facimus regi sincero, potenti, magno, amico, amicabili regi
 „Alemannie, quod quidam homo, Henricus nomine, venit ad nos,
 „dicens, se nuncium vestrum esse, et detulit nobis quandam car-
 „tam, quam dixit esse vestram. Nos legi fecimus cartam et audi-
 „vimus eum viva voce loquentem, et verbis que ore dixit, verbis
 „respondimus, sed hoc est responsum carte. Quod si computatis
 „eos qui vobiscum concordant veniendi super nos, et nominatis
 „eos et dicitis: rex talis terre, et rex alterius terre, et comes
 „talis, et tales archiepiscopi, et marchiones, et milites, et si nos
 „vellemus enuntiare eos qui sunt in nostro servitio, et qui sunt
 „intendentes nostro precepto, et prompti nostro sermone, et qui
 „dimicarent coram nostris manibus, non posset hoc in scriptis
 „redigi. Et si Christianorum computatis nomina, Sarracenorum
 „sunt plura et plura habundantius quam Christianorum. Et si inter
 „nos et eos quos nominastis Christianos mare est; inter Sarracenos,
 „qui non possunt estimari, non est mare inter eos et nos, nec
 „ullum impedimentum veniendi ad nos.¹ Et nobiscum habentur
 „Bedvini, quos si opponeremus inimicis nostris, sufficerent, Turke-
 „manni, quos si effunderemus super hostes nostros, destruerent
 „eos, et rustici nostri, qui dimicarent strenue, si iuberemus, contra
 „gentes que venture sunt super terram nostram et ditarentur de
 „eis, et exterminarent eas. Et quomodo? Nos habemus nobiscum
 „soldurios bellicosos, per quos terram apertam habemus et adqui-
 „sitam, et expugnatos inimicos. Et hii et omnes reges paganismi
 „nec tardabunt cum eos submonuerimus, nec morabuntur, cum
 „eos vocaverimus, et vos congregati fueritis, sicut carta vestra
 „dicit, et ducetis, sicut nuntius vester narrat, obviabimus vobis per

¹ Sensus est: si mare est inter Christianos et Sarracenos, nullo mari, nec impedimento invicem dividuntur Sarraceni.

„potentiam dei. Nec sufficit nobis terra ista que est in maritima,
 „sed transibimus voluntate dei et obtinebimus terras vestras uni-
 „versas fortitudine dei. Nam si veneritis, cum toto posse vestro
 „venietis, et presentes eritis cum omni gente vestra, et scimus
 „quod in terra vestra nullus remanebit, qui se defendere possit,
 „nec terram tueri. Et quoniam victoriam nobis Dominus sua for-
 „titudine de vobis donaverit, nichil amplius erit quam ut terras
 „vestras libere capiamus fortitudine sua et voluntate. Adunatio
 „enim legis Christianorum bis venit super nos in Babylone. Una
 „vice apud Damiatam, et altera apud Alexandriam, et erat mari-
 „tima Jerusalem Christianorum et in terra Damasci, et in terra
 „Sarracenorum in singulis castellis singuli erant domini sibi pro-
 „ficietibus. Nostis qualiter Christiani utraque (Eol. 8. v^o.) vice redierunt,
 „et ad qualem exitum venerunt, et he gentes nostre refecte sunt
 „cum regionibus suis, et Deus adunavit regiones affluentius et
 „coadunavit eas longe lateque in potestate nostra, et Babyloniam
 „cum pertinentiis suis, et terram Damasci et maritimam Jerusalem
 „et terram Gesire et castella sua et terram Roasie cum perti-
 „nentiis suis, et per gratiam Domini hoc totum in manibus nostris
 „est, et residuum regum Sarracenorum nostro est imperio. Nam
 „si mandaremur excellentissimis regibus Sarracenorum, non retra-
 „herent se a nobis. Et si submoneremus Calephum de Baldach,
 „quem Dominus salvet, veniendi ad nos, de sede excelsi imperii
 „sui assurgeret, et veniret in auxilium excellentie nostre. Et nos
 „obtinuimus per virtutem domini et potentiam Jerusalem et terram
 „ejus, et remanent in manibus Christianorum tres civitates: Tyrus,
 „Tripolis, et Antiochia, et de his non est aliud nisi ut occupentur.
 „Attamen si bellam vultis, et si dominus voluerit, ut sit per vo-
 „luntatem suam quod totam terram Christianorum adquiramus,
 „obviabimus per virtutem domini, sicut scriptum est in litteris vestris.
 „Verum si nos de bono pacis requisieritis, mandabitis procuratoribus
 „istorum trium locorum predictorum, ut nobis ea sine contradictione
 „assignent, et vobis sanctam crucem reddemus, et liberabimus omnes
 „captivos christianos, qui sunt in tota terra nostra, et habebimus
 „pacem vobiscum, et permittemus vobis ad Sepulchrum unum sacer-
 „dotem, et reddemus abbatias, que solebant esse in tempore pa-
 „ganismi, et bonum eis faciemus, et permittemus venire peregrinos
 „in tota vita nostra, et habebimus vobiscum pacem. Quod si

„carta, que ad nos venit per manum Henrici, nominatim sit carta „regis, scripsimus cartam istam pro responso, et dominus erigat „nos ad consilium suum sua voluntate. Carta hec scripta fuit anno „adventus prophete nostri Mahumeth DLXXXIII. gratia domini „solius. Et dominus salvet prophetam nostrum Mahumeth et suam „progeniem, et salvet salvationem salvatoris domini excelsi regis „victoriosi adunatoris, veridici verbi comptoris, vexilli veritatis, „correptoris orbis et legis, Soldani Sarracenorum et paganorum, „servitoris duarum sanctarum domorum et sancte domus Jerusalem, „patris victorum, Joseph filii Job, suscitatoris progeniei Mirmureni!¹“

Hanc superbi et infidelis tyranni epistolam cum nugis suis magnificus imperator contempnens, dignas principis iras concipit et ad bellum totis affectibus exardescit. Eum totius imperii sequuntur magnates et apud Maguntiam, ubi ex edicto imperiali convenerant, una omnes et unanimiter omnes in votum eximie tam² peregrinationis proclamant. A Domino factum est istud, qui spirat ubi vult, et corda omnium inclinat quo vult. Nam principes tanti, non inanis glorie appetitu illecti, non inducti precio, non precibus excitati, sed solo superne retributionis desiderio, per Dominum et propter Dominum, ad militiam accinguntur. Providerat quidem celestis altitudo consilii, ut et ipsi sponte vocati obsequium Domino gratum dependerent, et imperialis magnificentia comitatus condignos haberet. Sic ergo incentore spiritu undique confluent, et qui tot gentes, tot principes sub uno imperante conspiceret, antiquam romane potestatis gloriam non crederet deflexisse.³ In hoc Christi exercitu erant pontifices, duces, comites, marchiones, et principes alii quam plurimi, quos si nominibus et locis distingueremus, incurreret pariter et scriptor molestiam, et lector tedium, et tenor brevitatis offensam. Decretum sane prudentum fuit consilio, quod hoc iter nullus arriperet, cujus facultas ad sumptum annum insufficientis videretur. Vehicula vero quam plura propter itinerarios egrotantes constructa fuerant, ne vel sano infirmus moram nece-

¹ supra: Mirmuraeni. — Super epistola Friderici imperatoris ad saladinum data conferri potest: Wilken Geschichte der Kreuzzüge 4, 52. Ipsa epistola typis jam extat expressa apud Matheum Parisiensem, Londini 1684. editum, ad annum 1188. p. 122. — ² Locus videtur esse mutilatus. — ³ Cod. deflexisse.

ret, vel languentium turba ob iter destituta periret. Dudum quidem in discussionem venerat, an mari, an terra potius tanta belli moles incederet. Sed quantalibet navium multitudo tot milibus transvehendis minus sufficere videbatur. Imperator itaque, opus propositum instanter accelerans, per Ungariam iter instituit, et qui regum ultimus peregrinandi votum emiserat, primus ad solvendum festinat. Rex Ungarorum, Bela nomine, statura eminens, vultu insignis, cujus perfectio a cumulo incipit, cujus preconium ad summa progreditur, cui, etsi cetera non suppetent, sola imperiosi vultus elegantia regno dignissima censeretur; hic exercitum Christi hospitaliter recipit, ovanter occurrit, benigne prosequitur, et operum exhibitione devotionis fervorem testatur. Indigene vero quam plurimi, eximio calentes exemplo, vident aciem sanctam, et commilitare gestiunt, attendunt certantium premia, et labores non metuunt, simulque et volunt et vovent et sequuntur, ut jam liquide constet quod tarda molimina spiritus sancti gratia non novit. Danubio transito, cum ad ultiores Bulgariae fauces deventum esset, Huni, Alani, Bulgares et Pincenates

(Reliqua desiderantur.)
